

sententia, quedam pertinentia ad *personalia* &c. et continet *Quaestiones* 20. *Quodlibetum* VI. tantum 9. VII. vero non nisi 1.

II. fol. 21. praemisso Elencho sequitur *Bonaventura in Librum II. Sententiarum* hoc initio: *Solummodo hoc inveni, quod deus fecit hominem rectum* &c. prout extat *Opp. T. IV. Lugd. 1668. f.* et a nobis non semel relatus est.

III. fol. 214. *Sex Principia* siue *Prolusiones* cum in expositionem s. *Scripturae*, tum *Magistri Sententiarum*, quarum prima ἀκροφάλος, reliquae nullo Autore. Additur ad calcem: *Iste liber est emptus in quinta feria Post Egidij Anno Domini M° CCCC° 32°. 3. Floren.*

DLXXVII.

U. 685 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 244. f. per duas columnas luculente scriptus, coloribus distinctus, et a *Thoma Hasebachio* quondam supremis tabulis relictus *Collegio ducali wienne apud fratres predicatores*, exhibet, ut e calce adsumo, *Questiones VII. Quodlibet magistri Henrici de Gandauo Archidiaconi Tornac. disputatas in scolis suis et determinatas ab ipso.* Addit calx *Quodlibeti III. Anno domini M°. CC°. LXXVIII. in pascha. Parisiis docuisse Henricum Goedhals, seu Bonicollium, dictum Doctorem Solennem, defunctumque a. 1293. dixi hoc Vol. dum ex ejus Quodlibetis Excerpta referrem. Hic vero integra habentur, adjuncto ad*

cujusvis finem *Quaestorum Indice.* *Quaestita* porro in uniuersum de Deo et Creaturis agunt, disputando tamen fere ad omnia Religionis et Morum Capita deducuntur. Typis *Parisinis* a. 1518. et *Venetis* a. 1613. f. extare *Quodlibeta* nostra Autor est *Fabricius* in *Bibl. med. Lat.* et *Foppenius* in *Bibl. Belg.* mihi tamen neutri ad manum sunt.

DLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 626 XIV. Folior. 198. f. maj. per duas columnas nitide, sed multis uocum compendiis exaratus, coloribus illustratus et fronte picturata, cujus prima litera I. Virum habitu *Dominicano*, quem ipsum S. Fundatorem puto, dextra lilium, sinistra librum praeferentem, leonique insistentem exhibet, olim Collegii S. J. *Viennens.* completitur VII. *Quodlibeta* Theologica, id est *Quaestiones pro et contra* disputatas, quae quondam ad ostentanda magis ingenia, quam veram utilitatem frequentes erant. Rubrica sic habet: *Incipit primum quodlibet venerabilis patris fratris Heruei (Britonis) Ordinis fratrum predicatorum qui fuit Magister in theologia et postea magister (XIV.) totius ordinis fratrum predicatorum, quod fecit scribi Frater Johannes de discowe.* Initium est: *In nostro quolibet querebatur unum commune deo et creaturis intellectualibus &c.* Ita sequuntur et reliqua III. *majora* Nostri *Quodlibeta*, prout se excipiunt in *Edit. Veneta*